

paniam predicare, suoque nutu et arbitrato regi, ut maiorem habeat cum sua sanctitate et rege Cattolico auctoritatem, fictis et simulatis literis et relationibus insinuare.

Cum in Anglia Infanta semper hereticos habeat infestissimos, et Catholicos paucos et tepidos, et à tergo Regem Scotiae qui ius suum vindicare conabitur, et à fronte Regem Christianissimum qui nullo modo uicinitatem illam ferre persuaderi potest, et à latere Hollandos et Danos mari potentissimos, et nulli[bi] amicos aut confederatos aliquos, nisi quos pecuniae vi ex remotissimis regionibus uocauerit, nescio quid in mentem uenerit cordatis Principibus tam uana spe huc usque decipi, et de medio tam impossibili tanquam de solo et unico Angliae medicamento cogitare.

22. *Vera brevisque Declaratio Status et Conditionis Catholicorum in Anglia ab anno Dñi 1587 vsque ad hodiernum diem.* 54, f. 146b.

1^{mo} In tota Insula nulla est Ecclesia, nullum sacellum, locus nullus ubi Catholici aut publicè aut priuatim possint aut sacro interesse aut alia frequentare sacramenta ad salutem animarum necessaria.

2^o. Qui hereticorum conciones et conuenticula frequentare recusent, singulis annis 660. aureos fisco persoluunt, quod si non sint soluendo, in carceres conijciuntur.

3^o. Pena Capitis est Ecclesiae Romanae reconciliari, peccata confiteri, à peccatis absolui.

4^o. Pena Capitis est sacerdotem hospitio recipere, auxilio, consilio, aut re iuuare.

5^o. Pena Capitis est sacerdotem, si cognoueris, illico magistratui non manifestare.

6^o. Nemo est alicuius notae Catholicus quin in Custodia aliqua teneatur, hi in arctiori, illi in laxiori.

7^o. Nemo Catholicorum aut arma domi habere aut officio in republica frui potest.

8°. Nemo ad gradus promoueri, aut beneficio [uti] potest.

54, f. 147.

Ab hoc seruitutis iugo liberari posse Cattolicos putant nonnulli, idque zelo ut putant bono, armorum vi et Principum potentia, idque per multos annos continuos successibus non ita felicibus pertentantur aliisque omnibus qui de medijs alijs magis pacificis cogitant, omnem fidem et authoritatem detrahunt; idque agunt sedulo ut omnis illis aditus ad eorum aures quibus incumbit hisce rebus prouidere intercludatur.

P^{mo} Igitur illud sedulo docent et inculcant nullam aliam spem, nullam salutem reliquam esse Catt^{olis}, nisi quam in Catholici Regis potentia et beneuolentia sitam predicant.

2^{do} Spargunt rumores, et infames, suspectos et inuisos reddunt ubique omnes qui aliter de causa communi iuuanda sentiunt.

Propositum itaque nostrum est sine ulla Catt^{oli} Regis iniuria S^{ati} Suæ ostendere primo non esse abbreviatam manum Dⁿⁱ, mediaque alia posse inueniri quibus fides Catt^{ola} promoueri poterit sine tanta sanguinis effusione.

3^{io} Media illa quæ hactenus per arma tentata fuerint plus Catt^{olis} obfuisse quam profuisse; quarum rationum capita Regis Christ^{mi} orator S. V. uel uerbo uel scriptis exhibebit.

54, f. 147b.

23. *Considerationes quædam S^{mo} proponendæ pro Pace Stabilienda in Ecclesia Anglicana.*

Post examen grauissimum, eorum quæ exhibuimus contra modum procedendi Archipresbiteri, et incommodorum ipsius Subordinationis, fratres nostri iudicio et consideratⁿⁱ S^{ati} relinquunt, vtrum ordinaria Episcoporum Hierarchia afflictissimis rebus nostris magis conueniat; minusque in se incommodi et periculi habeat quam ista de quo modo agitur Prelatura.

1. Verum cum tanti negotii momentum non poterit sine iusto examine, longo tempore, et debita omnium circumstantiarum trutina concludi, ut paci et tranquillitati interim prouideatur, faceret proculdubio Sua Sanctitas iudicio nostro rem omnibus gratissimam,